



## **Scientia Sanctorum**

Collecta Ex Meditationibus Ludovici De Ponte, Joannis Busaei, Joan. Suffren, Juliani Hayneufve, Et Antonii Gaudier, &c. E Societate Jesu, In Dominicis, Festa & ferias totius Anni digesta. Cum Indicibus duobus. I. In singulos dies. II. Ad Exercitia Spiritualia

**Puente, Luis de la**

**Dilingæ, 1685**

13. De legis Evangelicæ excellentia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60561)

Apostolos comparat, quia non vult eos esse so-  
 litarios, & privatam vitam agere, sed commu-  
 nem, ad se quam plurimos attrahendo & con-  
 vivendo. 2. *Supra montem posita, hoc est, su-  
 pra magnam celsamque virtutem, quia eminere  
 eosdem oportet sanctitate, esseque perfectos,*  
*juxta illud : **Supra montem excelsum ascende tu,** Isa. 40.9  
**qui evangelizas Sion. Exalta in fortitudine vo-**  
**cem tuam, qui evangelizas Ierusalem.** Tunc  
 enim prædicatoris auditur vox, si ex edito pro-  
 clamarit : & ad civitatem accursus fieri poterit,  
 quæ non latuerit. 3. Deinde supra montem est  
 civitas, quia vir perfectus debet ad celsitudi-  
 nem perfectionis homines juvare, atque pro-  
 movere, non ad communem tantum virtutem.  
*Sapientia enim misit ancillas suas, ut vocarent ad  
 arcem, & ad mœnia civitatis.**

Apostoli  
 Supra  
 montem  
 quid?  
 2.  
 3.  
 Vir per-  
 fectus in  
 monte.  
 Prov. 9.  
 3.

### MEDITATIO XIII.

*De Excellentia legis Evangelica.*

Tertia pars Sermonis.

#### PUNCTUM UNICUM.

**P**Ræmittit Dominus, se non venisse, ut legem  
 veterem solvat, sed impleat: implevit autem  
 tripliciter, & servando illam, & præstando, quæ  
 promiserat illa, & perficiendo. 2. Necessitatem  
 servandi legem demonstrat: Nam, *qui solverit  
 unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic  
 homines, minimus vocabitur in regno cælorum:*  
 Con-

1.  
 Christus  
 legem  
 perfectè  
 servavit.  
 2.  
 Mat. 5.  
 20.  
 Lex ne-  
 cessariò  
 servanda

Iac. 2. 10

3.  
Exem-  
plaro-  
peratio-  
nis.  
Pater.  
Mat. 5.  
48.  
4.

Contemptus erit apud Deum, si vel unum : quod enim offendit in uno, factus est omnium reus. perinde excluditur à regno Dei, si vel minimum, etiam alioqui non lethale, ex contemptu solverit : si docuerit, duplici nomine excludetur. Contra qui fecerit & docuerit, conjungitur, quia, qui docuerit tantum, non erit magnus coram Deo ; Sed qui etiam fecerit, magnus erit, quia exemplo simul docet & verbo, pro occasione & statu suo. 3. Exemplar operationis proponit, non sanctos homines, non Angelos, non seipsum, sed Patrem cœlestem : *Estote perfecti, sicut Pater vester perfectus est* : in quo nulla culpa esse potest, omnes sunt virtutes, & in gradu excellentissimo. 4. In tradenda explicandâque lege, hæc ipsa tria persequitur. 1. ut omnis absit culpa etiam interior, & occasio omnis amputetur. 2. Nulla desit virtus, vel in subjiciendo appetitu proprio, vel in actione erga proximum, vel denique erga Deum. 3. ut sint quam perfectissimæ, qualis est beneficentia erga inimicos, ad instar divinæ.

## MEDITATIO XIV.

## De Oratione Dominica.

**D**ominica dicitur, quia Christus eam docuit, & quidem bis : nam primò, cum haberet sermonem in monte ad turbas, ut refert Matthæus : deinde privatim, cum unus discipulorum ab eo peteret : *Domine, doce nos orare,*  
sicut

Mat. 6.  
5.